



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 6. Indicata vetus scriptura duum locorum è libro secundo de
Diuinatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

& in Phœnissis, σὸν δέπους θηγώνευθ. vt ergo illi Graeci dicendi genera exprimebant, ita facere oportet eos, qui se nostris temporibus poetas perhiberi volunt.

Æris Corinthij temperatura quomodo inuenta.

C A P V T . V.

SVPER ære Corinthio, quænam illius origo fuerit, varia tradita sunt ab antiquis. Plinius casu mistum esse ait, Corintho, cùm caperetur, incensa. L. quoque Florus eandem sententiam sequitur, à quo ita hac de re scriptum est: *Æris notam pretiosiorem ipsa opulentissimæ urbis fecit iniuria: quia incendio perustis plurimi statuis atque simulacris, æris, auri, argentiq; vena in commune fluxere.* At alij vnam modò antiquis temporibus domum Corinthi arsissè dicunt, in qua cùm auri argentiq; nonnihil inesset, æris autem magna vis; commista illa, & in eandem confusa massam, ex eo metallo cuius maior inerat pars, Corinthij æris nomen acceperint. Alij etiam, quod proprius ad veri similitudinem accedere videtur, narrant, ærarium quendam fabrum Corinthi fuisse, qui cùm incidisset in thecam auri plenam, eamq; sibi abstulisset, ne id resciretur, metuens, dissectum in minutas particulas aurum paulatim æri admiscerit, admirabilemque illum temperaturam effecerit, qua magnas sibi opes postea comparavit.

*Indicata vetus scriptura duum locorum è libro secundo
De Diuinatione.* C A P . VI.

BENE & emendatè scriptus erat in veteribus libris locus hic è secundo De Diuinatione: *Ad nostri augurij consuetudinem dixit Ennius:*

Quon tonuit lauum bene tempestate serena.

At Homē-

At Homericus Vlysses apud Achillem querens de ferocitate
Troianorum, nescio quid hoc modo nuntiat:

Prospere Iupiter his dextris fulgoribus edit.
atque ita eum legit Petrus Marsus: indicatque, versum
esse sumptum ex Iliados nono. ut valde mirer, quæ
fuerit eorum audacia, qui Aiacem postea pro Vlysse
scripterunt. Nam quod Victorius credit esse μημε-
ρινον Ciceronis αμαζητημα, non viderat videlicet veteres
libros, neque commentarium Marsi. Quem si legisset,
cognouisset etiam, se non valde necessariam operam
sumere in emendando quodam loco è primo corun-
dem librorum: ubi de Iamidarum familia mentio est.
eum enim Marsus & probè ac incorruptè scriptum re-
pererat, & eruditè interpretatus erat, adducto eo ipso
Pindari loco, quem adduxit postea Victorius. Iniquum
autem puto, quenquam sua latide fraudari: ideoque
verum harum emendationum auctorem indicaui. ne-
que dubito, quin Victorius ipse, quem ut insigniter
eruditum esse video, ita insigniter probum & planè
ingenuum esse audio, si & hæc, & alia quædam, quæ
ut noua profert, ab aliis notata scitisset, aut non atti-
gisset, aut suis auctoribus accepta retulisset. quod idem
mihi etiam de aliis quibusdam eruditissimis homini-
bus facile persuadeo. Elegantem enim & liberalem
doctrinam liberalis etiam natura plerumq. comitatur.

Cur Tibullus porcum hostiam mysticam dixerit.

CAPUT VII.

Non satis, quod sciam, à quoquam explicatum
est, cur Tibullus porcum hostiam mysticam vo-
cauerit, eo versu,

Hostiaq; è plena mystica porcus hara.
quinetiam eius rei ignoratione, in quibusdam libris è

E 3 mystica

Anc Muret
Varia Lectione
LIB. III.